

placiter narraverunt quæ nihil aliud est quam aqua perma-
nens ex qua preciosissimus lapis generatur. ô, quam plures
sunt huius gummæ investigatores, & quam minimi eam co-
gnoscunt. Et scitote quod hæc gummæ non emendatur nisi
solo auro, quam plures namq; sunt qui has investigant ap-
plicationes & inveniunt quasdam, non tamen possunt labo-
res sustinere, eo quod diminuuntur. Quæ autem ex gummæ
fiunt applicationes, & ex honorabili lapide, qui tincturam
iam continuit, ipsæ penas sustinent ac nunquam diminuun-
tur. Mea igitur verba intelligite, vobis namq; gummæ luci-
fico dispositionem invidens, & arcanum in ea existens. Et
scitote quod gummæ nostra est auro fortior, & oportet, Scien-
tes eam tenere auro honorabiliorem, aurum tamen honora-
mus, sine ipso namq; gummæ non emendatur. Gummæ igitur
nostra pretiosior & sublimior est margaritis, eo quod ex
gummæ paucis auro multum emimus. Ideoq; philosophi
describentes ne pereant, caventes in libris suis manifestam di-
spositionem non posuerunt ne quilibet eam cognosceret,
quam si insipientes scirent non vili venderent pretio. Accipite
ergo ex gummæ alba intensissimi candoris partem unam, & ex
albi Vituli urina part. i. & ex felle piscis. i. & ex gummæ cor-
pore, sine quo emendari non potest i. has miscete portiones,
& per 40. dies coquite. Hisq; transactis calido sole, conge-
late donec desiccentur. Deinde coquite ipsum mixtum cum
lacte fermenti quousq; lac deficiat, deinde ipsum extrahite
& quousq; siccum fiat, in calore dimittite. Deinde cum lacte
siccum ipsum miscete, & coquite donec humor ille desiccetur
in composito, quem postea cum radicis herbæ lacte miscete,
& coquite donec desiccetur. Deinde ipsum pluviali aqua hu-
meate, deinde aspergite aquam rosis & coquite donec de-
siccetur. Item aqua ipsum imbuite permanente, & desicca-
te, quousq; intensissimæ fiat siccitatis. His præmissis ipsum
gummæ miscete, quæ omnibus paratur coloribus & coquite
fortiter, donec totius vis aquæ pereat corpusq; totum desiccat
humiditatem, inducentes ipsum coquendo, quousq; illius
siccitas incendatur. Deinde dimittite per 40. dies, ut in illa
trititione maneat vel decoctione donec spiritus corpus pene-
trat. Hoc enim regimine spiritus incorporatur, & in spiritum
corpus vertitur, observate ergo vas ne compositum fugiat, &
fumiget. His autem peractis vas aperite, & vestrum pro-
positum invenietis. Hoc utiq; est gummæ arcanum, quod
in libris suis philosophi celaverunt.

5. Vol.

B

Sermo

Gumma.

Penas i.e.
labores, ra-
tione gal-
licismi.

S.V.